

jure communi inspecto, examinari, et approbari a vicariis apostolicis ad audiendas sæcularium confessiones. Idem, *ibid.*, § 7 et 8. (29. Ex speciali indulto iisdem datur, ut examen vel coram ordinario loci, ubi situm est monasterium, vel Bruxellis coram nuntio Sedis Apostolicæ, subire possint. Idem, *ibid.*, § 8. (30. Facultas tamen audiendi con-

MOLENDINUM, MOLITOR.

SUMMARIUM.

1. Agitur de privilegiis molendini mensæ episcopalis, et sub directo dominio Ecclesiæ, ad n. 8. —

(1. Molendinum mensæ episcopalis non comprehenditur sub prohibitione facta a communitate populo de non adeundo, nisi ad molendina communitatis; sac. congregat. Immunit. in *Firmana* 2 Julii 1620, l. II *Decr.* Paul., pag. 48.

(2. Molendina, et alia ædificia sub directo dominio Ecclesiæ sunt exempta. Eadem sac. congr. Immunit., in *una Montis Regalis* 15 Jan. 1648, lib. IV *Decr.* Paul., pag. 2.

(3. Molendina ecclesiasticorum non comprehenduntur sub bannis gubernatoris, qui debet facere declarationem de non comprehensione eorum. Eadem sac. congr. Immunit. in *Asina* 8 Apr. 1631, lib. II *Decr.* Paul., pag. 74; in *Pleinen*. 20 Septembr. 1639, l. III *Decr.* Paul., pag. 10.

(4. Molendina ecclesiasticorum, ac molentes in ipsis molendinis non comprehenduntur sub prohibitione laicali solvendi gabelam ut dicitur *della Pesu*. Ead. sac. congr. Immunit. in *Maceraten*. 19 Januarii 1638, lib. III *Decr.* Paul., pag. 52.

(5. Repugnat immunitati, et libertati ecclesiasticorum, et equitum S. Mauritii, nec non publicatio ordinis prohibitivi eundi ad dd. Molendina. Ead. sac. congr. Immunit. in *Taurinen*. 11 Septembr. 1634, lib. II *Decr.* Paul., pag. 202.

(6. Episcopus procedat prout de jure contra ministros laicos impediens moniales in fabricatione molendini olearii, non obstante monitorio A. C. Eadem sacra congregat. Immunit. in *Ariminen*. 9 Febr. 1700, lib. II *Decr.* Vall., pag. 272.

(7. Impedientes molere olivas in molendinis ecclesiasticorum, et prætendentes decimas, sunt ab ordinario excommunicandi. Eadem sacra congr. Immunit. in *Catacen*. 11 Augusti 1631, lib. II *Decr.* Paul., pag. 85; in *Ugentina* 29 Octobris 1695, lib. I *Decret.* Vall., pag. 226.

(8. Prohibitio communitatis eundi ad alia molendina, quam ad molendina ipsius communitatis non comprehendit molendina episcopi, ecclesiarum, et ecclesiasticorum, tam intra, quam extra communitatis territorium existentia; et communitas est cogenda ad declarationem non comprehensionis. Eadem sacra congr. in *Firmana* 10 Novembr. 1630, lib. I *Decr.* Paul., pag. 65.

(9. Ecclesiastici non possunt cogi ire ad molendinum domini temporalis, seu com-

fessiones a vicariis apostolicis est impetranda; et ista ad sexennium concedi debet, et subinde ad aliud sexennium prorogari sine examine; et ab hoc onere regulares quantumvis privilegiati non sunt immunes. Idem, *ibid.*, § 10. Et a vicariis Apostolicis itidem expectare, et accipere facultates formulæ secundæ. Idem, *ibid.*, § 12.

9. Alia circa molendinum, et molituram ad exemptionem ecclesiasticorum, regularium, et monialium spectantia, ad n. 19.

munitatis, sed possunt ire ad alia sibi benévola. Sac. congr. Immunit. in *Neritonen*. 1 Septemb. 1643, l. III *Decret.* Paul., p. 208.

(10. Molendina vulgo dicta *centimoli* ab ecclesiasticis retineri possunt in propriis domibus pro eorum usu, et familiæ. Eadem sacra congr. Immunit. in *Lycien*. 20 Sept. 1650, lib. IV *Decr.* Paul., pag. 120.

(11. Ecclesiastici sunt exempti ab impositione molituræ. Eadem sacra congr. Immunit. in *Isernien*. 10 Martii 1631, lib. I *Decr.* Paul., pag. 99.

(12. Non licet gubernatori, seu curiæ sæculari visitare, seu perquisitiones facere in molendinis monialium, et aliorum piorum locorum, quamvis sint conducta a molitoribus afflictuariis. Eadem sacra congr. Immunit. in *Verulana*. 2 Octobr. 1691, *Libr. Decret.* Grim., pag. 18.

(13. Nec vexare dictos molitores afflictuarios sub prætextu mensurarum injustarum, vulgo *le scudelle*, sed illas restituere debent. *Ibid.*

(14. Molitores, seu conductores molendini præposituræ, et collegiatæ patentati respondentès pro afflictu molendini in tot frumentis recollectis in ipso molendino, gaudent privilegio fori. Eadem sacra congregatio Immunitatis in *Nullius Atini* 4 Junii 1607, lib. II *Decr.* Vall., pag. 95.

(15. Molitor, qui sine collectis moluit frumentum mensæ episcopalis, nequit molestari a curia laica, alioquin episcopus procedat contra eandem, prout de jure. Eadem sacra congregatio Immunitatis in *Bononien*. 22 Aprilis 1698, lib. II *Decr.* Vall., pag. 148; *item* 19 Augusti et 16 Septembris d. a. et lib., pag. 175.

(16. Operarii molendini olivarum conventus regularium vendentes oleum mensuris non justis, nequeunt puniri a justitiariis sæcularibus. Eadem sacra congregatio Immunitatis in *Arianen* 8 Aprilis 1687, *Lib. Decret.* Mart., pag. 76.

(17. Ecclesiastici, cum mittunt triticum ad molendina, non tenentur accipere, nec deferre cartulam, vulgo *la bolletta* subscriptam a gabellariis. Eadem sacra congregatio Immunitatis in *Nullius Altamura* 8 Novembris 1692, lib. I *Decr.* Vall., pag. 85.

(18. Mensuræ vulgo dictæ *le scudelle* ablatæ a molendinis ecclesiasticorum de ordine gubernatoris, sunt restituendæ curiæ episcopali, ad quam etiam debet recurri pro

cognitione fraudum commissarum in dd. molendinis. Eadem sac. congr. Immunit. in *Veliterna* 12 Januarii 1648, lib. III *Decr.* Alt., pag. 1047.

(19. Quatenus ecclesiastici non molestentur in exactione impositionis molituræ, et

MOLLITIES.

Vid. verb. LUXURIA a. n. 35 ad 45.

MONACHUS.

Artic. noviss. adjectus.

1. Unde monachi nomen? — 2, 3, 4, 5. Varia monachorum genera: ascetæ, anachoretæ, cœnobitæ, stylitæ. — 6. *Origo monachorum* a primis Ecclesiæ sæculi repetenda in Ascetis. — 7. His in Paulo, Antonio, aliisque paucis cum Deciana persecutione, tum post ipsam anachoretæ successerunt. Pachomius cœnobarum institutor, data Ecclesiæ

(1. Monachi nomen varie a Patribus explicatur. Aptissima est Cassiani interpretatio; ait enim, collat. 18, abbatis Pyamoni cap. 5, inde monachos dictos, quod a conjugii abstinent, et a parentum se consortio ac mundi hujus conversatione secernerent, ut nimirum soli Deo per contemplationem inhaerent.

(2. Varia fuere monachorum genera. Primum ascetæ constituunt, qui nuptiis, carnibus, rebusque vitam habentibus, et vino abstinerebant; (hos enim canon. 51, inter Apostolicos *ascetas* vocat) qui ferventiori precandi studio se dabant, ut excellentiora quædam charitatis, paupertatis Evangelicæ, mundique contemptus argumenta præberent; quo nomine Hieronymus, *De scriptor. Eccles.*, cap. 41; Serapionem ep. Antiochenum « asceti addictum; » et cap. 76 Pierium « miræ asceseos appetitorem et voluntariæ paupertatis » appellat.

(3. Alterum monachorum genus anachoretæ, et eremitæ induxerunt, hominum scilicet, qui civitates, aliorumque consortium fugientes, in speluncis et cavernis solitariam vitam agebant. Quo spectat illud B. Hieronymi in *Epistola ad Heliodorum*: « interpretare vocabulum monachi, hoc est tuum: quid facis in turba, qui solus es? » quibus sane verbis illud sanctus doctor insinuat, nomen monachi non nisi eremitis, qui soli habitabant, propriissime convenire.

(4. Tertii generis cœnobitæ sunt, qui et synoditæ dicti, ii scilicet qui, in societate viventes, omnia habebant communia. De his loquitur S. Augustinus in *Ps. cxxxii*.

(5. Adde his stylitæ, sic nuncupatos a singulari vivendi ratione super columna.

(6. Hinc vides, quo demum pacto gravis illa quæstio de vitæ monasticæ origine sit dirimenda. Quarto primum sæculo hoc vitæ genus cœpisse Magdeburgenses, cent. 4, c. 6, et protestantes passim contendunt, sed insigni mendacio, et rerum ecclesiasticarum ignoratione; nimirum hi monachorum institutionem ad quartum sæculum pertrahuunt,

aliorum onerum vigore edictorum, quæ ipsos nullatenus comprehendere possunt, super-sedendum est a fulminatione censurarum: alias procedendum est ad ulteriora. Eadem sac. congr. Immunit. in *Mutinen*. 16 Jan. 1647, lib. IV *Decr.* Paul., pag. 2.

pace. — 8, 9, 10. Monasticæ vitæ progressus. — 11, 12. Regula monachorum. — 13. Monachi a primæva institutione laici fuerunt, eorum tamen aliqui subinde sacerdotio initiati. — 14. Quanta a monachis in rempublicam ipsam dimanet utilitas, Justiniano imperatore iudice. — 15. Subnectuntur *addit Casin.* ad n. 28.

ut austerioris cujusdam vitæ professionem, paupertatis evangelicæ studium, cœlibatum inventa hominum fuisse suadeant a primæva Ecclesiæ puritate abhorrentia. Sed nonne ab ipso apostolorum ævo ascetæ exstiterunt? Id pluribus non efficiam, cum id jam præstiterit illustrissimus præsul Nicolaus Antonellius in eruditissima de ascetis dissertatione, qua utilissimam, splendidissimamque suam S. Jacobi Nisibeni sermonum editionem Romanam exornavit. At a monachis ascetæ discriminabantur. Nomine profecto differebant, re tamen, et virtutum, quas monachi postea professi sunt, exercitatione mirifice conveniebant, ut nihil proficiant sacrorum votorum osores monachorum tardiore institutione, cum ab ipsis Ecclesiæ primordiis plurimi fuerint, qui eadem vota magna pietate ac religione servarent. Quid ergo de nomine solliciti simus, ubi eadem arctioris vitæ instituendæ ratione, ac præsertim votorum paupertatis, et castitatis professione monachis ascetæ prævivere solum, sed ita prævivere, ut quendam in Ecclesia ordinem clericos inter et laicos medium constituerent, quemadmodum ex S. Cyrilli *Catechesibus*, et S. Gregorii Nazianzeni oratione *De pace quæ in reconciliatione solitarie degentium habita est*, constat. Itaque si quid video, revera ascetæ monachis præluserunt, nec monachi aliud fuerunt, quam ascetæ solitudini addicti, et ex peculiaris cujusdam disciplinæ legibus ea exercentes, quæ ceteri ascetæ in ipsis civitatibus, et omni lege soluti persequerentur.

(7. Anachoretæ tamen primi fuerunt, qui, Deciana persecutione sæviente, in solitudine sese receperunt, Paulus cum primis, et Antonius, quorum illum vitæ anachoretarum auctorem, hunc illustratorem S. Hieronymus, ep. 22, ad *Eustochium* vocat. Non dum tamen monasterium ullum exstruxerant; sed, cessante quoque ea persecutione, in cellulis, quas sibi in solitudine paraverant, pauci tamen, et singulares homines hac illac dispersi in Ægypti desertis

permanere maluerunt, quam ad pristina sua domicilia reverti. Discimus hoc ex actorum S. Pachomii scriptore apud Pezium ad ann. 308, n. 12. Ubi vero, pace a Constantino Ecclesiae reddita, idem Pachomius quaedam monasteria in Thebaide Ægypti ædificanda curavit, in quibus ad certas leges in societate monachi degerent, paulatim in alias quoque regiones ea invecata fuit disciplina. Hilarion Antonii discipulus primus fuit in Palæstina, sive Syria monachorum fundator et eruditor, ut in ejus *Vita* cap. 11 Hieronymus scribit. Eustathius Sebastianæ episcopus Sozomeno teste, *Hist. eccl.* lib. III, cap. 14, inter Armenos, Paphlagonas et Ponti accolos monasticam vitam introduxit. Basilius monasticæ vitæ aditum patefecit in Cappadocia. Nec omittendus in Mesopotamia et Perside monachorum institutor Eugenius B. Antonii discipulus, quemadmodum ostendunt Acta sanctorum Barsabæ, Bademi, aliorumque monachorum apud Persas in dirissima Saporis persecutione cæsorum, aliæque monumenta a Cl. præsule Stephano Evodio Assemano prolata in luculenta præfatione ad *Acta martyrum orientalium et occidentalium*, t. I, p. LXVII et sequ.

(8. Roma a S. Athanasio, qui anno 340 huc accessit et postea a Petro item Alexandrino episcopo, « B. Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide... Pachomii... didicit disciplinam, » ut ep. 16 ad *Princip.* scribebat Hieronymus, qui deinde addit se Romæ commorante, « tam crebra fuisse virginum monasteria, monachorumque innumerabilem multitudinem, ut pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominia fuerat, esset postea gloria. » A Romana porro Ecclesia cæteræ Occidentales Ecclesie monasticam disciplinam mutuatae sunt. Illustria in his fuerunt in nostra Italia Vercellense monasterium a S. Eusebio Vercellari episcopo et Mediolanensis alterum a S. Ambrosio, alterum a S. Martino condita.

(9. Idem Martinus Turonensis Ecclesie episcopus creatus, duobus fere ab urbe illa miliaribus monasterium statuit, quod *majus* etiamnum vocant. Brevi autem Martino auctore adeo monachorum numerus accrevit, ut ad S. antistitis « exsequias monachorum fere duo millia convenisse dicantur.

(10. S. Augustinus Ambrosii exemplo edoctus, « factus presbyter, inquit Possidius in illius *Vita*, monasterium intra Ecclesiam (Tagaste in Africa) mox instituit, et cum Dei servis vivere cepit secundum modum, et regulam sub sanctis apostolis constitutam. » Quod tamen Thomassinus, p. 1, lib. III, cap. 3; et Selviggus, lib. I, p. XI, cap. 13, § 2, n. 3, cum aliis malunt de clericorum simul cum Augustino inhabitantium conventu intelligere, quam de veris monachis. Cætera, quæ ad monasticæ vitæ in Occidente progressum spectant, dabit Mabillonius *Pref. in sæc. I Benedictin.*, a n. 19.

(11. Malim ego ex eodem aliqua promere de primariis veterum monachorum regulis. Ut in Oriente, sic in Occidente « tot prope modum typi ac regulæ erant quot cellæ et monasteria, » ut ait Cassianus lib. II *Instit.*, c. 2. Aliis pro regula erat abbatis voluntas; aliis modus majorum usu, et traditione confirmatus; aliis leges scriptæ imponebantur. In uno, eodemque cœnobio plures simul regulæ scriptæ non raro observabantur, de tractis, vel assumptis nonnullis pro locorum, ac temporum conditione. Sancti Basilii regulam, postquam Rufinus Aquileiensis presbyter, rogante Urseio Pineti abbate, eam latinam fecerat, monachi nostrates præferebant. Nam Eugippii abbatis Lucullanensis, et Vigilii diaconi regulæ non admodum tenebantur. Eandem Basilii Regulam in Gallia servabat Aredius cum Cassiani institutis, quæ in pluribus ejusdem gentis monasteriis vigeant. In Hispanias quam regulam intulerit ex Africa S. Donatus Facundi Hermianensis discipulus, incompertum est.

(12. Ad Italiam nostram redeo: Sæculo quinto elanguit apud nos monastica institutio ob Gothorum, Hunnorum, Vandalorum et Erulorum irruptiones: sed tandem ineunte sæculo sexto respirare cepit, et S. Benedicto auctore, Ægyptiorum monachorum celebritate non æquavit solum, sed plane superavit incredibili Ecclesie, atque ipsius reipublicæ utilitate, tot tantosque viros Benedictinus ordo a primo, quo cepit, sæculo, ad nostram ætatem sanctissimos et doctissimos monachos dedit.

(13. Monachi a primæva institutione laici omnes fuerunt. Huc spectat Chalcedonensis canon 11. « Si quis sequester et intercessor adeo turpibus, et nefariis lucris apparuit, hic quoque si sit quidem clericus, proprio gradu excidat; si sit autem laicus, vel monachus, anathematizetur. » Brevi tamen præter monachos, quos episcopi in Ecclesie suæ commodum, rectamque fidelium institutionem et monasteriis abstractos ad clericatum evehebant, pauci inter monachos sacerdotio initiari cœperunt, præsertim ubi monasteria ab episcopali aut parochiali ecclesia distarent, aut nimis ampla essent. Ordinabantur autem olim, non ut modo, titulo paupertatis, sed sub titulo sui monasterii, ut fert Chalcedonensis canon 6. Confer Mabillonium. *Prefat. in sæc. V*, n. 131.

(14. Monachorum censores, qui nostro sæculo in dies excrescunt, mirabuntur, in hac nostra Romana editione additum fuisse hunc de monachis articulum. Sed mirari desinent, si Justiniani imperatoris Novellam 133 legerint. Pauca hæc ex illa decerpo: « Si enim illi puris manibus, et nudis animabus pro republica supplicent Deo, manifestum, quod et exercitus habebunt bene et civitates bene disponentur... Sed et terra nobis feret fructus, et mare quæ sua sunt dabit, illorum oratione propitiationem ad omnem rempublicam deducente. » Hæc imperator, non certe a philosophis, Politici-

que nostræ ætatis superstitionis, aut imbecillitatis, nomine contemnendus. Alia ad rem *vide* verb. REGULARES.

ADDITIONES CASINENSES.

De instituto monastico specialim.

(15. Ex cap. XIX, XI et XXI Matthæi vel utique colligas licet, institutionem, vitamque monasticam duobus Christi Servatoris consiliis inniti, quæ in continentia, et paupertate consistunt; ut hinc Fleuryus *Hist. eccles.*, discurs. 8, asserere non dubitet, ejusmodi monasticum vivendi genus esse divinæ institutionis.

(16. Hinc juxta Cassianum « cœnobarum disciplina a tempore prædicationis apostolicæ sumpsit exordium, » collat. 18, cap. 5 (83).

(17. In hoc sensu D. Marcum evangelistam monasticam vitam Alexandriæ instituisse Epiphanius, hæres. 29, tradit; deque hoc eodem evangelista hæc Eusebius refert, nempe: « Marcum... in ipsa urbe Alexandria Ecclesiam constituisse. Tanta porro multitudo virorum simul et mulierum, qui fidem Christi illic amplexi fuerant, ab ipso statim initio tam severam, tamque philosophicam institutionem professa est, ut studia illorum, et cœtus... totamque vivendi rationem scriptis suis commemorare operæ pretium duxerit Philo. » *Hist. eccles.*, lib. II, cap. 16.

(18. Exploratum præterea est primos Ecclesie Jerosolymitanæ fideles eam ab apostolis vitæ institutionem habuisse, qua monastica, ac regularis disciplina præcipue constat; *Actor.* IV, 32.

(19. Id tamen non de monachatu stricto sensu intelligendum. Fuere enim vero semper inter Christianos, qui durius quoddam et asperius vitæ genus sequerentur, vacan-

(85) Sanctior quidem vitæ forma in Hebræorum *Rechabitis* præluxit, ut sileam antiquiores solitariae vitæ imagines, quas ab Elia, et Eliseo, filiisque prophetarum Basilius, Chrysostomus et Eucherius repetunt. Præterea Josephus Flavius *Ant. Judaic.*, lib. VIII, cap. 1. Patriæ Hebræorum philosophia sectas recensens, Phariseos, Sadduceos et Essenorum, horum ult. austerum vivendi genus exponit: quod idem fusius lib. II, cap. 8, *De bello Judaic.* persequitur: « Tria hominum genera (hæc ille *loc. cit.*) apud Judæos philosophantur... Tertium vero, quod sane vitam severiorem exercere videtur, Esseni appellantur, gente quidem Judæi, at mutuo sese amore magis quam alii complectentes. Isti a voluptatibus tanquam a scelere abhorrent, continentiam vero servare, et cupiditatibus non succumbere pro virtute maxima ducunt. Et ipsis quidem despectui habentur nuptiæ, alienos vero liberos, dum ad capessendas disciplinas molles adhuc sunt, suscipientes, pro cognatis suis reputant, suisque moribus informant... Divitias contemnunt... Erga Deum pietate sunt singularem... Est et alius Essenorum ordo, qui cum prioribus quidem quoad rationem vivendi, moresque, et instituta consentit, sed in una de nuptiis opinione ab ipsis discrepat... Verumtamen sponsas pro triennio probant. Cum autem ter purificate fuerint ad explorandum possint ne parere, tum eas in uxores ducunt. At cum gravidis non coeunt, hoc ipso ostendentes quod nuptias non voluptatis ergo, sed liberorum inopia fecerint. »

tes jejunio, precibus, et meditationi rerum divinarum, quique ascetæ dicti sunt; at hi cum monachis nequaquam confundendi veniunt, ut recte Cotel. Pagius, alique observant.

Jam vero paganorum principum persecutionibus per tria et amplius sæcula gliscens, factum est, præsertim a tempore Decii imperatoris an. 249, ær. V, ut plurimi in Thebaidem, aliosque orbis solitudines se reciperent, ibique vitam ducerent sanctissimam. A Græcis isti eremitæ et monachi, id est solitarii, dicti sunt; hincque monachatus initia repeti possunt. Eorum autem principem D. Paulum Thebæum existisse vulgo scriptores memoriæ prodiderunt: solitariae vitæ « auctor Paulus, illustrator Antonius, » ut ait Hieronymus epist. 22, ad *Eustoch.*, cap. 16.

(20. At Paulus quidem toto vitæ suæ longævo tempore nemini ferme cognitus fuit, tantumque morti proximus Antonio innovuit. Antonius vero plures habuit imitatores et in eo totus fuit, ut solitariam vitam inculcaret, perficeret, et regulis asceticis instrueret. « Habuit porro quamplurimos, ac probatissimos discipulos, quorum alii in Ægypto ac Libya, alii in Palæstina et Syria, atque Arabia floruerunt: » ut Sozomenus scribit *Hist. eccles.*, lib. I, cap. 13 (84). Inter hos celebres Macharius et Hilarion fuere.

(21. Porro, cum pacem Ecclesia universa, Constantino imperitante, adeptæ fuisset, satius monachi duxerunt e speluncis et solitudinibus sese ad cœnobia in unam societatem conferre, ibique sub communi tecto communem vitam colere, id unum respicientes, nempe æternæ salutis negotium simul peragere. Hos quippe permulti virorum ac mulierum (85) sectati sunt, quo in cœno-

Hæc Flavius, qui cit. lib. VIII, cap. 1, *Antiq. Jud.*, de illis sic subjungit: « Esseni omnia Dei in manu relinquenda esse censent... » Hinc proinde, ut ait Fleuryus *Hist. eccles.*, lib. I, n. 4, omnia fato, nihilque libero arbitrio attribuebant; adeo ut vel ex hoc uno capite (prosequitur Fleur.) nimis quidem inferiores Christi discipulis agnoscerentur.

Porro, qui inter eos longe durius vitæ genus amplectebantur, therapeutæ dicti fuere.

(84) Non tamen Antonius ullum ædificavit monasterium, quo solitarii simul viverent. Primus Pachomius pacatis Constantini M. temporibus cœnobium, et communem monachorum vitam instituit, quod ex Actis Pachomii ab antiquo quodam auctore scriptis aperte constat: ibi enim inducitur Antonius anchoritarum parens, qui ita Sacchæum Pachomii discipulum alloquitur: « Quo ego primum tempore monachum cœpi agere, nullum usquam exstabat cœnobium, in quo de aliorum salute cura, aut metus cuiquam erat; sed quisquam antiquorum monachorum persecutione jam finita, privatim in vita sese monastica exercebat. Postea vero Pater vester (Pachomius) tantum bonum, Deo adjuvante, effecit. » Apud Papebroch. in *Acta Pachomii*, die 14 Maii, in *Acta sanctorum*, cap. 77.

(85) Ipsæ siquidem feminæ monasticam vitam pari cum viribus zelo amplexæ sunt. In Oriente quarto sæculo, Basilio teste, *De instit. monach.*, jam erant virginum conventus. Et Chrysostomus, homil. 8, in *Matth.*, choros virginum in solitudinibus

biis Christum, resque divinas tutius prosequerentur. De his quidem ita loquitur Basil.: « Homines ex diversis nationibus, et regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeo velut in unum coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantum animus inesse videatur, vicissimque plura corpora unius animi instrumenta. » *Inst. monast.*, cap. 19.

(22. Hinc porro factum est ut ex Ægypto, ubi primum monasticum institutum suscepit exordium, per alias Orientis ac etiam Æthiopicum, ac Persarum regiones diffunderetur. Sed Orientales præcipuum monachorum præconem et institutorem S. Basilium celebrant, cujus regulæ et constitutiones deinceps in Orientis monasteriis unice ferme obtinuerunt.

(23. A beato Athanasio Alexandrino episcopo, Romam monachos invectos tradit Hieronymus in hæc sane verba: « Nulla eo tempore nobilium feminarum noverat Romæ propositum monachorum. Hæc (Marcella) ab Alexandrinis prius sacerdotibus, papaque Athanasio, et postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, Romam confugerant, vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide Pachomii, et virginum, ac viduarum didicit disciplinam; nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat. » *Epist. 28 ad Principium*. Atque hinc ipsa Hieronymi ætate crebra fuerunt Romæ virginum monasteria, atque ingens monachorum multitudo. Et littora maris Etrusci, et insulas circumjacentes, et Volscorum provinciam numero, et pietate monachorum spectabiles factas fuisse, idem Hieronymus cit. *epist. testatissimum* reliquit. Per Gallias vero vitæ monasticæ propagatio S. Martino præcipue debetur, qui postquam in Italia, prope Mediolanum monasterium condidisset, apud Pictavos alterum ædificavit; posteaque creatus Turonensis episcopus, duo celebria monasteria ibi constituit.

(24. Verum, monastica vita in Occidente splendorem et incrementum suum maxime debet S. Benedicto, qui circa annum DXXXIX Casinum montem in Campan. Felice petiit, unde Regula Benedictina per universum Occidentem pervagata est.

(25. Illud autem cognoscas licet, ab ipsa ferme monachatus origine duo emersisse spuria et reprobata monachorum genera, quorum unum sarabaytæ, alterum gyrovagi constituebant: sarabaytæ ferme bini, vel terni in urbibus et castellis proprio arbitratu, subque nullius præsidis regimine vivebant; de quibus ita Hieronymus, *epist. 22 ad Eustoch.*: « Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum, et si quando dies festus

Ægyptiacis degentes laudat. Ita invaluit differentia inter virgines ecclesiasticas et monasticas, quarum illæ in domibus paternis degebant, Concil. Carthagen. III, can. 33; hæ vero communem ducebant vitam, et non secus ac reliqui monachi propriis

venerit, saturantur ad vomitum. » Gyrovagi, alio nomine circumcelliones dicti, quippe nullo certo loco fixi, per totam vitam vagabantur, propriis voluptatibus, et gulæ illecebris servientes, ut eos S. Benedictus describit *Regul. cap. 1*. Insuperque alii ex his membra martyrum, si tamen martyrum, venditabant; alii fimbrias, et phylacteria sua magnificabant, omnesque vel sumptus lucrosæ egestatis, vel simulatæ sanctitatis exigebant; quod Augustinus, *De opere monach.*, c. 28, de his circumcellionibus scriptum reliquit. Proindeque non minus sarabaytæ, quam gyrovagi vitæ monasticæ propudia potius et opprobria, quam monachi fuere.

(26. Porro prima cœnobarum regula non alia fuit, quam cujusque abbatis vox ad normam consiliorum Evangelicorum, ac Evangelicæ perfectionis. Subinde nonnullis SS. Patrum satius visum monachos suos ad religionem litteris informare. Pachomius fertur primus omnium regulam Tabennensibus scripto tradidisse, cujus plura capita Sozomenus (l. in *Hist. eccles.*, c. 14) recenset: quod et alii postea præstiterunt, unde codicem Regularum Lucas Holstenius confecit, præcipui vero regularum conditores in Oriente S. Basil., S. Augustin. in Africa (hunc pro virginum cœnobia, cui soror præfuit, regulam scripsisse, putat cum aliis Papebr., ad *Vit. S. Alberti*, die 8 Apr., eamque postea non nisi sæc. IX viris aptatam a B. Bened. Ananiensi abb. Chr. Lupus contendit, in *Not. ad Tertull. De præsc.*), in Occidente S. Bened. exstiterunt.

(27. Illud hic addamus oportet, ejusmodi monasticæ vitæ regulas peculiare, hoc est singulis monasteriis proprias fuisse, quod ex memorata regularum collectione, quas anted. Lucas Holstenius edidit, colligere fas est. Quin monasteria regulas sæpe mutarunt et interdum plures in uno eodemque cœnobia obtinebant regulæ, quod Jo. Mabillonius (in *Præf. in part. I sæcul. IV ord. S. Bened.*, n. 53) observat. Stetitque hæc disciplina usque ad S. Benedictum, qui primus, aut certe inter primos solemnem professionis formulam præscripsit, qua monachi ad perpetuam susceptæ regulæ observantiam adstricti fuerunt. Atque hoc sane pacto antiqua castigata fuit, atque coercita mutandæ regulæ libertas, deque una ad aliam transiendi; quod non solum pro Casinensi cœnobia, sed pro universo ordine factum est, ut anted. Mabillonius (in *Præf. ad Annal. Bened.*, n. 19 et 28) adversus Holstenium luculentissime demonstrat.

(28. Jam vero, cum primum monachi nullos redditus possiderent, quippe mundo et opibus propter Christum valedixerant, manibus suis victum sibi hoc pacto paraturi operabantur; id quod etiam ad eorum vir-

laboribus vivebant, August., *De moribus eccles.*, cap. 31. Et sequenti ætate in Occidente quot fuerunt monachorum ordines, tot familiæ sanctimonialium, easdem, quas viri regulas profitentes, enatæ fuerunt.

tutem promovendam aptissimum sane erat. Et revera otiosi in solitudine vitiis contabescunt, et continuis carnis tempestatibus sunt obnoxii. Ita labor manualis vitæ monasticæ proprius et insitus censebatur. Hinc inter monachos alii in agro colendo laborabant, alii in pistrino, alii in fabricando, alii in parandis coriis, alii in sportis atque canistris contexendis. Quæ omnia Palladius Helenopolitanus episc. (floruit sæc. IV) in historia, quæ *Lausiaca* inscribitur, c. 39, recenset. Similiter et in Occidente monachi in horto, pistrino, aliisque opificiis laborarunt. Opus vero manuum, cui cum totius posteritatis immenso beneficio se addiderunt monachi occidentales, fuit veterum codicum descriptio et instauratio: « adeo ut quidquid apud antiquos eruditum, ac scitu dignum, quidquid apud Patres pium et sapientiæ plenum, quidquid in conciliis sanctum, quidquid in libris sacris divinum est, totum id (procul jactantia dictum velim) per monachorum nostrorum manus ad hæc usque tempora pervenerit, » quemadmodum jure meritoque ait Mabillonius *Præf. in sæc. I ordin. S. Bened.* n. 114.

MONASTERIUM

Vide verb. REGULARIS ubi late, etc.

SUMMARIUM.

1. Monasterii etymol. — 2. Alia monasteriorum synonyma. — 3. Varia eorumdem forma. — 4. In quibusdam laus perennis vigeat. — 5. 6. Prius omnia episcopi suberant, exempta postmodum ab earum jurisdictione cum in Africa, tum in Italia, Galliis, etc., multo ante Isidorianas Decretales. —

(1. Monasterium a solitudine dictum; nam monasteria in locis abditis, et ab hominum commercio sejunctis condi solebant, ut qui in illa sese recipere, soli cum essent, facilius contemplationi vacarent.

(2. Eadem cœnobia appellata, quod in eis vita communis a monachis ageretur, uti et cellæ, quo nomine sæpe utitur S. Gregorius M. non modo ad designandum privatum monachi alicujus cubiculum; sed ad totum monasterium indicandum, ut dum, *Dialog.*, lib. I, cap. 4. Æquitius Basilium de cella expelli jubet; lib. XI, cap. 9, habitacula cellæ memorat, et lib. III, cap. 15, quatuor, vel quinque pecudes in cella remansisse scribit. *Vide* et Mabillonium, *præf. in sæc. I Ben. Annal.*, n. 46. Aliud lauræ erant, de quibus Evagrius, lib. I, cap. 21: « Cum ad Christi urbem venisset (Eudocia), multa in honorem Dei Servatoris nostri gessit. Nam et religiosa ædificavit monasteria, et lauras, quas vocant, construxit, » loca scilicet ubi plures anachoretæ in eadem solitudine, alii ab aliis paulum disjuncti vivebant, communi quodam nomine lauræ nuncupata.

(3. Non eadem erat Orientalium et Occidentalium monasteriorum forma. Disparatæ, uno tamen ejusdem monasterii ambitu conclusæ ædiculæ Orientalibus placuerunt: quales hodieque in Carthusianorum, et eremitarum Camaldulensium monasteriis cer-

(29. Per decem plus minus sæcula inter monachos nulla fuit ordinum diversitas, sed omnes tum Orientales, tum Occidentales unius instituti esse censebantur, quod vir doctissimus Mabillonius observat, *Præf. in part. I sæcul. IV ordin. S. Bened.* n. 52. In Occidente circa sæculum decimum diversitas inter monachos fieri cœpit, quam primum Cluniacenses induxere, unam ex pluribus monasteriis congregationem conficientes. Deinde subsecuti sunt Camaldulenses, Grandimontenses, Carthusiani, Cistercienses: postea, sæc. XIII ineunte, mendicantes; omnes nimirum in vinea Domini multiplici pietatis exercitio, variisque modis ad Dei gloriam, bonumque proximi instantissime operaturi. Annis autem consequentibus alii instituti sunt ordines regulares, ut certa charitatis officia præstarent, atque ut clericis opem ferrent in iis quæ clericali muneris propria sunt. Nec prætereundi ordines equestres et militares, qui præsertim a cruciatis, atque expeditionibus in Saracenos ortum habuerunt. Cætera ad rem sub v. ORDINES RELIGIOSI persequemur.

7. Bonorum monasterialium partitio inter abbatem et monachos sæculo IX inducta. — 8. Nobiliorum monasteriorum conditio, antequam in unum corpus redigerentur. — 9. Capitulum generalium origo. — 10. Alia huc spectantia apud Ferrarium, ubi quaerenda.

nimus. Occidentalibus contra, licet nonnullis antiquo quoque ævo mos ille Orientalium probaretur, universim tamen cellæ separatæ sub eodem dormitorii tecto erectæ, vel saltem ut in nostris clericorum, aut nobilium adolescentium seminariis, et collegiis fit, discreti in eodem dormitorio lecti in usu fuerunt. Hinc S. Augendus, abbas Condatiscensis, ut in ejus Vita legitur, sæc. I *Ann. Benedict.*, p. 575, n. 21: « Refutato archimandritarum Orientalium more, utilius omnes univiv in medium. Destructis namque mansionum ædiculis, uno cunctas secum xenodochio quiescere fecit: ut quos causa unitæ refectionis una clauderet ædicula, discretique lectulis una ambiret et mansio. »

(4. Erant monasteria quædam, in quibus jugis erat psalmodia, ut Luxoviense, Dionysianum, etc. Nimirum monachi in his plures dividebantur in turmas: primæ recedenti a matutinis officiis succedebat secunda; huic tertia: dein absoluta prima, priores locum faciebant secuturis, idemque ad alias horas præstabant. Confer de his monasteriis, quæ etiam dicebantur, laudis perennis, Mabillonium, *præf. in sæc. IV*, n. 204, seq.

(5. Suberant initio monasteria episcoporum jurisdictioni; neque mirum, cum fere laicis tantum, ut diximus, constarent. Hinc Chalcedonenses Patres, edito canone, eam episcoporum in monasteria potestatem con-